



~~SM.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-73. ———
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.



27

COLLEGII LOGICI,

DISPUTATIO I.

EXHIBENS

THESIUM LOGICARUM

CENTVR. I.

De

Præcognitis Logi.

cis tum Generaliter tum

Specialiter sic dictis.

PRÆSIDE.

M. NICOLAO BENEDICTO

PASCHA, Fac. Phil. Adj.


&

RESPONDENTE

GOTTLIEB GAULIO, Friedbergâ

Neomarchico,

Ad d. 8. Mart. 1673.



WITTEBERGÆ,

Literis WENDIANIS, excud. DANIEL Schmaß

Academ. Typogr. An. 1673.



COLLEGIUM LOGICAE

DISPUTATIO I

EXHIBENS

THESIUM LOGICARUM

CENTVM I

DE

Præcognitis Logi.

is cum Gouernatore cum

Specialiter sic dicitur

PRÆSIDIO

M. NICOLAUS BENEDICTO

PASCHA, Fac. Phil. Adj.

RESPONDENTE

GOTTLIEB GALLIO, Friedberg

Neomarchico,

add. d. 8. Mart. 1673.

WITTEBERG,

Licentis WANDIANIS, excudit. DANIEL SCHMIDT

Academ. Typogr. An. 1673.



11
! 7 2

PRÆFATIO.



Emper suos habuit fautores LOGICA
Quæ enim veritatis viã docet, cur cultoribus veri-
tatis non esset chara? Hinc multi desudârunt
ut accuratò Systemate hujus præcepta includeren-
tur. Aristoteles primus fuisse creditur

Dedit Is sanè Ὀργανον non incoincinne conscriptum, suomodo tamen
imperfectum. Mallem nihilominus, ut reliquissent illud integrum,
quotquot commentariis suis ac nescio quibus supplementis, defectua
ejus, non sustulerunt sed auxerunt. Certè Ramus minus felix
quàm promptus in hoc conamine fuit. Minus proinde miror, ejus
famam nostris temporibus penè evanuisse. Num alij ex recentiori-
bus, quorum quilibet suo indulget genio, correctius nobis exhibue-
rint systema, judices ipse. Hoc certum, plerosq; si non omnes hinc
inde à recto veritatis tramite deflectere. Simplex enim & una est
veritas. Inter Recentiores multum tribuimus, Eislero, Noldio &
Leichnero. Non tamen in omnibus placent. Et quis omninò liber à
meis? Quæ ergo rectè dicta, amplectimur, siue Veterum siue
Neotericorum quis dicat. Rei enim veritatem sectamur, nullius
autoritate movemur. Quæ vero falsa, etiam à nobis olim asserta,
exsecramur. Specimen dictorum hinc accipe.

DEUS sit Nobiscum!

82

§. I.





§. I.

Anima hominis quæ talis duas potiores obtinet facultates, quarum altera *intellectus*, altera *voluntas* dicitur.

§. II.

Illæ ordinatur ad cognoscendum *verum*; hæc ad appetendum *Bonum*.

§. III.

Utraque autem per lapsum *Adæ* ita corrupta est, ut *illa* difficulter *Verum* inveniat; hæc ægrè bonum appetat.

§. IV.

Posse tamen *utramque* in tantum rectificari & promptiorem reddi in operationibus suis, experientia testatur.

§. V.

Media autem quibus rectificantur, dicuntur *habitus*, quorum alij ad *Intellectum* alij ad *voluntatem* pertinent.

§. VI.

Illæ, speciatim vocantur *habitus intellectuales*, & dividuntur pro varietate objectorum realium, circa quæ intellectus cognoscendo *verum* occupatur.

§. VII.

Hos, *habitus morales* appellant, quorum evolutio disciplinis practicis subjacet.

§. VIII.

Cæterum habitibus intellectualibus subordinantur *alia media*, quæ *notionalia* dicuntur.

§. IX.

Hæc, applicata rebus cognoscendis, eas aptiores quodam-

dammodo reddunt ad *perceptionem passivam* seu *objectivam*; quemadmodum *habitus intellectum* reddunt *promptiorem ad perceptionem activam*.

§. X.

Horum ergo *evolutio* non inutilis, imo *necessaria* quodammodo est.

§. XI.

Unde porro sequitur, dari *quandam disciplinam*, cui hæc *evolutio* demandanda; quæ tamen pars *Philosophiæ* non est.

§. XII.

Et hanc vocamus communiter *Logicam*, item *Dialecticam*.

§. XIII.

Sunt tamen, qui *discrimen* inter has voces ponunt, ac per *Logicam* totam, per *Dialecticam* vero partem duntaxat artis denotant.

§. XIV.

Res parvi momenti; sed cum *usus* dicendi *Magister* optimus, æquipollentiam satis stabiliverit, cur non sequamur?

§. XV.

Cœterum vox *λογική* absolutè & substantivè accepta, in *Aristotele* non habetur, adjectivè vero & adverbialiter passim occurrit.

§. XVI.

Nunquam tamen si unum fortè excipias locum, pro tota arte, eundem *Aristotelem* hanc vocem usurpasse, quidam non levibus argumentis svadent.

§. XVII.

Derivamus autem hanc vocem, ἀπὸ τῆς λόγῃς, habito *primario* respectu ad λόγον ἐνθιάτετον; *secundario* tamen etiam attendimus λόγον θεωρητικόν.

§. XVIII.

Illud vulgo ex eo probatur, quia effectivè sit à *ratione* & subjectivè in *ratione*: rectius alij *directionem* mentis (quam πρώτως intendit) *fundamenti* loco subternunt.

A 3

§. XIX.

§. XIX.

Hoc astruimus propter communicandam sapenumerò aliis, veritatem ab intellectu perceptam.

§. XX

Porro, nomen hoc modo *latè* nimis, pro omni habitu instrumentali; modò nimis *strictè*, pro habitu probabiliter differendi; modo denique *ad æquatè* pro habitu, media operationes dirigendi adæquatè tradenti, accipitur.

§. XXI.

Præterea idem nomen vel pro *systemate seu congerie præceptorum* ordinate dispositorum sive mente concipiente, sive ore loquente, sive manu scribente expressorum de mediis dirigendi &c. Vel pro *qualitate* intellectui superaddita, qua is promptus in applicatione mediolorum istorum &c. accipitur.

§. XXII.

Hinc enata distinctio inter Logicam *Systematicam*, quæ vel *interna* vel *externa*; & *habitualem*: quam perperam nonnulli cum systematica confundunt internam.

§. XXII.

Habitualis Logica vel *concretivè* spectatur, & sic Logicam adversari posse Theologiæ admittimus; vel *abstractivè*; & tunc vicissim vel *determinatè*, pro Logica individuali, hæc, vel ista; vel *indeterminatè*, pro Logica, secundum esse specificum considerata, accipi potest; quæ ultima significatio in definitione attendi solet, imo debet.

§. XXIV.

Præcepta Logica vel *signatè* & quatenus à rebus in particulari avulsa, vel *exercitè*, & quatenus ad res applicata, spectantur.

§. XXV.

Diversus hic considerandi modus peperit distinctionem Logices in docentem & utentem; cui citra sufficientem causam, Wylsius addit tertium membrum, nempe Logicam discursivam.

§. XXVI.

§. XXVI.

Notari etiam obiter potest lapsus eorum, qui hanc distinctionem, ut, subdivisionem Logices habitualis proponunt.

§. XXVII.

Cæterum *Logica docens* exhibet nobis generatim duas doctrinas, *Extraessentialis* & *Essentialis*.

§. XXVIII.

Extraessentialis seu *proæmialis* tradit *Definitionem* & *Divisionem Logices*, Hanc perperam *Ramei*, necessario scilicet necessitate exigentiæ præmittendam esse censent.

§. XXIX.

Definitio realis constat *Genere* & *differentia*.

§. XXX.

Genus proximum non est *facultas* nec *Disciplina* seu *Doctrina*, nec *scientia* seu *Theoretica* seu *Practica* seu *mixta*, nec *ars* sive sensu *Aristotelico* sive *Ramistico*: Sed *habitus instrumentalis*.

§. XXXI.

Hic tamen non tam respectu *Philosophi*, cujus instrumentum *Logica* nonnunquam dicitur; quam *Objecti* seu instrumentorum quæ considerat, & *finis*, quo alterius duntaxat habitus gratiâ appetibilis censetur, hoc nomine venit.

§. XXXII.

Tò esse *instrumentalem habitum* ergo, non accidentaliter sive *παρωνίμως*; sed essentialiter & *συνανίμως* *Logicam* respicit; nisi absurdè respectum quem habitus ad objectum & finem suum proprium importat, accidentalem dicere velis.

§. XXXIII.

Nota hic errorem eorum, qui *Logicam* aliis *Disciplinis* omnibus imperare ac *leges* figere, audacter pronunciant, confundunt autem *imperium* & *organicum subsidium*, *Philosophum* & *Logicum* de rebus *Philosophicis* differentem.

§. XXXIV.

Differentia desumitur partim ab *objecto* partim à *fine*, de quibus paulo post.

§. XXXV.

Fugit quod dicitur in
implicite en poena et
ubi dicitur poena. Nam
ubi poena vnt, q licet
ad hoc non in partem
quod si opus aut quod
ad hoc ipsa accidet. Et qd
ad Logicam nam ptinet, si definiti-
tionem, si genus si differentiam, si partem
et si finem, qd hoc capite
applicat, ab ea finem
venit?

Cont. 30. Habitus ge-
neratim asserit vnt
& evident. p. demonstratio
ad e. h. m. At Log.

in cognoscendo, & in specie quæ intellectiva dicitur.

§. XLIII.

Atque *hec* consistit formaliter in conformitate sive adæquatione (non quantitativa aut essentiali sed representativa) actus, intellectus cum re intellecta.

§. XLIV.

Adæquatur autem intellectus rei intellectæ tum in apprehensione simplici; tum in compositione & divisione enunciativa; tum denique in illatione Sylogistica & ordinatione methodica.

§. XLV.

Patet ergo, in omnes tres mentis operationes cadere veritatē, quam multi tamen, sed perperam, primæ mentis operationi denegant.

§. XLVI

Per meliorem autem veritatis perceptionem, intelligimus faciliorem ac certiozem, ejus in vestigationem, conservationem ac defensionem.

§. XLVII.

Finis Logicæ internus est directio seu rectificatio non quæcunq; neccujuscunq; sed quæ fit per modos differendi hoc est organica, & quæ est operationum intellectus.

§. XLVIII.

Consistit autem Organica illa directio in functionum mentis lapsus periculo obnoxia, per certa media rectificatione ut non modo re accurate & distinctè percipiat, sed etiam consentanea aptè de se affirmet & dissentanea neget, ac denique in discurrendo tum illativè tum ordinativè expedite procedat.

§. XLIX.

Errant proinde, qui finem Logices faciunt (1.) Demonstrationem. (2.) Syllogismum. (3.) Fabricationem Instrumentorum. (4.) cognitionem modorum differendi (5.) Discursum probabilem de omni quæstione proposita (6.) Discretionem veri a Falso & Boni à malo simul. (7.) Veritatem & opinionem simul. &c.

§. L.

Objectum Logices aliud Generale & considerationis (quo nomine venit omne id, quod in Logico Systemate explicatur) aliud Speciale est.

B

§. LI.

Ubi n̄ ē iudicium n̄ ē veritas. Atq; n̄ iudicium

Internus. Effectus non potest esse directus ē effectus.

*Objectum
Logice.*

§. LI.

Objectum speciale & operationis duplex à Nonnullis
statuitur (1.) *Proximum* seu immediatum (2.) *Remotum*
sed mediatum. §. LII.

*Pl. C. In quatuor
propria sua logica
si qua intendit intedu-
cere forma archetipi
logici. §. 2. ob hanc
in quatuor dirigib. et nulli aliud
quod ee capax directionis
formae intendendi
illius. De hoc capax
ex parte maiore tenet
ut idio mai
En e formalis particu-
tione.*

Objectum *Immediatum*, sunt operationes intellectus
humani quatenus organicè dirigibiles ad meliorè veri-
tatis perceptionem; *Hujus* consideranda venit (1.) *Ratio*,
qua seu materiale (2.) *Ratio sub qua* seu Formale.

§. LIII.

Materiale sunt cogitationes hominis seu operationes in-
tellectus humani, non in particulari, sed in universali,
tum ratione subiectorum tum ratione Objectorum, tum rati-
one ipsorum actuū spectatas. §. LIV.

Logica enim non dirigit actiones intellectus hujus vel
illius hominis tantum, nec dirigit unicè operationem
mentis, qua Entia talia vel talia cognoscimus; nec etiam
rectificat saltem primam aut secundam aut tertiam men-
tis operationem. §. LV.

Sed intendit directionem cogitationum cujuscunq;
hominis (in statu post lapsum & naturali) circa quodcunq;
intelligibile (seu Ens sit sive non-Ens) cujuscunq;
etiam sit ordinis (seu primi seu secundi seu tertij.)

§. LVI.

Dividuntur autem vulgò varijs modis, alii immedia-
te in duo genera; alii in quatuor mēbra; alii deniq; in tres
ordines dispescunt. (1.) in *rerum apprehensionem simplicem*
(2.) *Enuntiativam compositionem & divisionem* & (3.) *dis-
cursum illativum & ordinativum*; quam divisionem ut
receptissimam & commodissimam etiam nos sequimur.

§. LVII.

Simplex apprehensio dicitur, qua aliquod sine affir-
matione vel negatione apprehendimus & cognoscimus;
vocatur alias *venns. apprehensio* sive apprehensio simpli-
cium sed minus accuratè cum complexa, integræ e-
nun-

• **Intuitiones & Syllogismi possint esse objectum hujus operationis.** §. LVIII.

Atque hæc prima mentis operatio potissimum quintuplex est (1.) comparativa. (2.) Abstractiva. (3.) concretiva. (4.) Definitiva & (5.) divisiva.

§. LIX.

Apprehensionem comparativam, voco quæ intellectus, ob meliorem rei perceptionem, unum cum alio sive ad aliud confert aut comparat.

§. LX.

Apprehensionem abstractivam dico, quæ intellectus ob meliorem rei perceptionem unum ab alio separat seu a parte rei sit distinctum sive non, hoc est, unò apprehensò non apprehendit alterum, quod cum illo sive essentialiter sive subjectivè saltem identificatur.

§. LXI.

Apprehensionem concretivam voco, quæ intellectus ob meliorem rei perceptionem unum cum alio componit, sive concretum efficit.

§. LXII.

Apprehensio definitiva est quæ intellectus ob meliorem rei perceptionem unum per aliud sibi notius representat ac definit.

§. LXIII.

Apprehensio divisiva est, quæ intellectus ob meliorem rei perceptionem unum in plura distribuit ac dividit.

§. LXIV.

Præter quinque has apprehensionis simplicis species recensent nonnulli sextam nempe *intuitivam*, quæ intellectus simplici intuitu rem aliquam perfectè. & secundum omnia prædicata ipsi à parte rei convenientia apprehendit.

§. LXV.

Sed vero tali modo cognoscere Deum omnia certum est; de Angelis dubitatur; in homine vero præsertim post lapsum, locum nullum habet.

B 2

LXVI.

§. LXVI.

Compositio & divisio Ennuntiativa dicitur, qua consentiamus aut dissentiamus rerū enunciamus, adeoq; unum de altero vel affirmamus vel negamus; vocatur alias *σύνθεσις & διαίρεσις τῶν νοημάτων.* § LXVII

Atque hæc secunda mentis operatio duplex est, (1.) *affirmativa*, qua intellectus consentanea connectit ac unum de alio prædicat. (2.) *Negativa*, qua intellectus dissentanea segregat ac unum de alio negat.

§. LXVIII.

Discursus dicitur, qua unum ex alio deducimus, dicitur aliâ *διαίρεσι.* Est que vicissim duplex (1.) *Syllogisticus* sive *Illativus*, quo ignotam enunciationem ex præmissis notioribus inferimus (2.) *Methodicus* sive *ordinativus*; quo homogenea ordinatè apteq; disponimus.

§. LXIX.

Formale consistit in dirigibilitate organica ad meliorem veritatis perceptionem; ex quo liquet, *Formale* hujus *Objecti* cum *Fine interno* (quod familiare habitibus practicis) ferè coincidere. §. LXX.

Differunt tamen suo modo, nempe ut *potentia & actus* sive ut *actus primus & secundus.*

§. LXXI.

Non enim intendit *Logica* dirigibilitatem, sed ipsam *directionem*; nec versatur circa operationes mentis quatenus actu directæ, sed quatenus dirigibiles.

§. LXXII.

Objectum mediatum sunt res omnes cognoscendæ quatenus aptæ recipere denominationem *Logicarum*, notionum quibus operationes mentis ad meliorem veritatis perceptionem diriguntur; Hujus iterum examinanda tūm *ratio qua* sive *materiale*, tum *ratio sub qua* sive *formale.* §. LXXII.

Materiale est res omnis cognoscibilis sumto vocabu-

Id latiffimè quatenus entia realia, rationis, positiva, negativa, per se, per accidens &c. includit

§. LXXIV.

Quanto oculatior hic fuit Ramus quibusdam Peripateticis, qui ad sola Entia realia objectum hoc restringunt, ut ut primario propter ea addiscendam esse Logicam labenter demus.

§. LXXV.

Atque ex his ipsis quaedam in certas distribuerunt Classes, Philosophi; quas vulgo Prædicamenta vocant; nomine tamen nimis angusto, ut benè monet Keckermannus.

§. LXXVI.

Distinctio enim ac dispositio illa rerum per certos ordines ordinisqve gradus conducit non solum ad doctrinam de prædicatione: Sed materiem nobis subministrat, cui omnis Generis notiones secundas applicemus.

§. LXXVII.

Quis harum primus fuerit Autor, incertum est; communiter tamen *Archyta Tarentino* (ex simplici relatione) Pythagoræ discipulo tribuitur.

§. LXXVIII.

Hæc à quibusdam (potissimum recentioribus) planè è Logica exterminantur; ab alijs admittuntur quidem sed non iusta sede pertractantur.

§. LXXIX.

Nobis non displicet eorum methodus, qui ad præcognita Logica referunt, cum sint portio quaedam objecti materialis mediati.

§. LXXX.

Cæterum de numero horum prædicamentorum, rebusqve in Prædicamentis collocandis acerrimè disputatur; indignam tamen hanc materiam tot tantarumq; concertationum iudico.

§. LXXXI.

Nec alium addo calculum ijs, qui intricatissimas circa Substantiam, Accidens, Quantitatem &c. de formali ra-

B 3

tion.

ne affectionibus, inferioribus &c. controversias hic loci
pertractant, quippe quæ Tyronum captum superant &
alieni sunt fori. §. LXXXII.

Receptissimus pariter Antiquissimus Prædicamento-
rum numerus denarius est, eoqve vulgo ordine nume-
rantur nempe Prædicamentum (1.) Substantiæ, (2.) Quan-
tatis, (3.) Qualitatis, (4.) Relationis, (5.) Actionis (6.) Pas-
sionis, (7.) Quando (8.) Ubi (9.) Situs (10.) Habitus.

§. LXXXIII

Singularum tabellæ apud Autores variant, pro varie-
tate principiorum, quibus nituntur in disciplinis realibus;
mihi præ multis placent tabellæ *Noldij*.

§. LXXXIV.

Materia itidem Prædicamentorum adæqvata juxta rece-
ptam in Scholis nostris sententiam non sunt *voces*, nec
pura notiones secunda. Sed *res*, exque non *omnes*, sed sola
entia realia, finita completa per se &c. nec *quatenus talia* sed
quatenus sub aptitudine ad denominationem, factam à notioni-
bus secundis sc. Genere, specie, Differentia & Individuo
spectantur.

a. LXXXV.

Modus autem in effendi in prædicamentis variè à Phi-
losophis proponitur; Nobis duplex est (1.) *directus* eo-
rum scilicet qui absolutè Entia prædicamentalia dicuntur
(2.) *Indirectus*, eorum scilicet qui tantum secundum quid ad
prædicamenta reducuntur. §. LXXXVI.

Directè vero in Prædicamentis aliquid collocatur, du-
pliciter. (1.) *in serie recta*, hoc est secundum gradus supe-
riores & inferiores, ut Genera, Species & Individua (2.)
in serie collateralis, ut differentia genericæ, specificæ &
Individuales.

§. LXXXVII.

Indirectè vero seu reductivè in Prædicamentis sunt (1.)
Partes (2.) Aggregata (3.) Concreta accidentalia.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII

Præter hos modos fingunt nonnulli analogicum quendam, quæ ratione Deum in Prædicamentis collocant, in modum per accidens, quæ ratione in Prædicamentis esse dicunt (1.) Entia complexa. (2.) Entia intentionalia (extra mentem) (3.) Notiones secundas (4.) Relationes rationis (5.) Privationes. (6.) ficta possibilis &c. Sed hæc omnia sine fundamento.

§. LXXXIX.

Quidam etiam gradus Differentiales indirectè in Prædicamentis esse dicunt; alij de Individuis id affirmant; non nemo etiam (quod miror) de genere & specie id probare conatur; sed omnes citra sufficientem causam.

§. XC.

Formale objecti mediati; non sunt ipsæ notiones secundæ: Sed aptitudo in rebus ad denominationem istarum notionum recipiendam.

*C. aptitudo illa
quæ nobis in rebus
formali & mediati
est objecti. Ratio
obliqua talis est
et cuius principium fit
in nobis.*

§. XCI.

Hæc tamen nullam importat potentiam physicam vel accidens realiter à Subjecto de nominato diversum, sed Logicam tantum, quæ in pura non repugnantia consistit, nullamque in sua formali ratione infert imperfectionem.

§. XCII.

Denominatio itaque facta à notione secundæ, formaliter nullius imperfectionis nota censi debet.

§. XCIII.

Materialiter vero & ratione hujus vel illius notionis secundæ sæpè multas involvit imperfectiones quæ non in quolibet Ente dantur; adeoque non quælibet notio secundæ cuilibet rei adaptanda.

§. XCIV.

Sæpè tamen ab Imperfectionibus istis beneficio abstractionis liberantur & in statum formalitatis (ut loquuntur) deducuntur, id quod non à quovis, nec citra prægnan-

tem



tem causam, ob evitandam Tyronum confusionem ac perturbationem fieri debet.

§. XCV.

Logica agit se de primo
nihilato & rationibus
autem directivis fieri
natura operationum
Atque illa est formalis
entia rationis.

Hactenus de Objecto; ubi notabis graviter impingere, quotquot pro objecto speciali & adaequato venditant (1.) *Ens rationis in sua latitudine* (2.) *voces significativas* (3.) *modos differendi in communi* sub quibus comprehendunt *Definitionem*, *Divisionem* & *argumentationem* (4.) *Syllogismum*, (5.) *Demonstrationem*, (6.) *terminos*, ex quibus *conclusio* vel *scibilis* vel *probabilis* conspicitur (7.) *Ipsa Præcepta* sive *Conclusiones Logicas*, &c.

§. XCVI.

Media sive Instrumenta, quibus operationes mentis ad meliorem veritatis perceptionem diriguntur, vulgò *notiones secunda Logica* item *modi differendi* (quibusdam) dicuntur.

§. XCVII.

Est vero notio secunda Logica alia *objectiva*, alia *formalis* seu *subjectiva*,

§. XCVIII.

*Ill*a relatio rationis est, res ipsas in quantum ab intellectu talivel tali modo cognoscuntur, denominans: *Hæc*, est imago seu species in intellectu, priorem illam, *objectivam* videlicet, repræsentans.

§. XCIX.

Cum vero vocabula sint signa rerum & Conceptuum, ad istas notiones significandas etiam certas adhibemus voces, quas *terminos technicos* vocamus; Has multum piter cum ipsis notionibus secundis confundunt.

§. C.

Cæterum Notiones secundæ generatim in triplici sunt differentia; aliæ ordinantur ad *primam*, aliæ ad *secundam* aliæ denique ad *tertiam* mentis operationem dirigendam.

F I N I S.

Ung VI 73

ULB Halle

3

004 108 515







27

LOGICI,
TIO I,
ENS
GICARUM
I.

is Logi.

aliter tum
c dictis.

DE.
BENEDICTO
Fac. Phil. Adj.

ENTE
LIO, Friedbergâ
nico,
ri. 1673.

GÆ,
d. DANIEL Schmak
An. 1673.